

Quæso per conterraneum meum D: Sohlberg proximo vere mittas aliquot semina et plantas rariores, præsertim Orchidum bulbos, quorum species adhuc semel coram videre flagro. Mittam ego vicissim quæ potero.

In Nosocomiis classis navalis, quorum medicus primarius sum, innumeris casibus expertus sum vires plantæ, quam Linnææ nomine indigitavit Gronovius; eamque ego certo Rheumatismum tollere, si per octiduum propinetur foliorum infusum, ac China in febris.

Ut valet frater tuus qui Peru vidit? redierit adhuc necne? Quid novi secum tulit? Quot stamina in vera China? qualis flos? quid novi in Botanicis?

Quæso millicies ad me scribas, ut per te omnia sciam; tuum in me favorem dum Parisios vestros vidi numquam prædicare satis possum; semper tamen Tua summa merita publice et privatim prædicavi, ut nullius hic botanices cultor non Te artis principem inter nostros agnoscat.

Nunc vivo et optime vivo. Legatus noster apud vestrum regem, illustrissimus Comes Tessin, antequam abibat me ad officium publicum docendi Botanicem et Mineralogiam admovit et infinita bona præstitit.

Professor Brovallius qui in academiâ Aboensi physicen profitetur, *Apologiam* edidit contra *Siegesbeckium* petropolitanum, in qua respondit ad objectiones factas adversus systema meum.* Librum transmittam.

Quando prodibunt insecta D: Obriet? Edidistine adhuc Plumieri† historiam plantarum? Si non fac per deos quamprimum stes promissis; eo enim opere et Plumierum et te immortalem reddas.

Plurimam salutem dicas generosissimis fratribus tuis et viduæ Vaillantii et D. Obriet et D. Reaumur et D. Isnardio et Amicis omnibus. Vivas diu felix artis nostræ ornamentum.

Dabam Stockholmiæ 1740, febr: 5.

titulo Latine orationis, in *Amenit. Academ.* t. 2. p. 388), de quo paulo infra in epistolis agitur. Versionem hanc manuscriptam possidemus, ut et nonnullas Beckii, serius regis Suecicæ archiatri, ad Bernardum, quocum amicitiam Parisiis conjunxerat, litteras in quibus frequens Linnæi mentio. Eidem debetur, præter varia de mineralibus vegetabilibus animalibusque diversis, oratio de Linnæo cui supervixit panegyrica: *Aminclsetal öfwer Carl von Linné.* 1779.

* Joh. BROWALLII *Examen Epicrisos in Systema Plantarum Sexuale cl. Linnæi a. 1737 Petropoli evulgatæ Auctore Joan. Georg. Siegesbeckio, Jussu Amicorum institutum.* Aboæ. 1739.

† Carolus PLUMIER, e Minorum ordine, a Ludovico XIV. in Americam, ad res naturales indagandas, ter ab anno 1689 ad 1704 missus, Insulas Antillas, Sandominicam præsertim, exploraverat, ubi miram vegetabilium animaliumque copiam observavit, collegit, descripsit delineavitque scientiæ et artis æque peritus. Collecta naufragio periëre; manuscripta diversæ navi commissa servata sunt, quæ nunc extant in bibliothecis